DE
ADVOCATO ICTO
DISSERIT
SIMVLQVE COLLEGIA SVA
INDICIT
D. FRIDERICVS Lebrecht
Stoltze.







Vo minus occupor cauſarum patronis apologiam texere, quibus publica autoritas dignitatem ac honorem ſatis inuiolabilem iamiam dedit, eo minus longis narrationibus refutabo eos, qui concinne Aduocatis derogant. Hoc tantummodo ediſſeram paucis: Aduocatum verum, eſſe ICtum. Aduocatus eſt perſona publica, quae ius nouit, et iura clientum in foro proponit, et ita tam conſulendo quam perorando demandatas cauſas curat. Duplicem induit perſonam. Et iuris artis peritus eſt, et iura clientum defendit. Vt Aduocatus verus, ſolidiſſima gaudere debet iuris principiorumque iuris notitia, nec non rerum huc facientium cognitione. Vt Practicus ſeu qua officio fungitur, cauſas perorat, et modi in foro procedendis at gnarus eſſe debet. ICtus eſt perſona publica, quae ius novit, poteſtatemque habet de iure reſpondendi, iura docendi, conſilia dandi, et ius cognito

gnito facto applicandi. Vel si ICtum tanquam eruditum priuatum consideras, est persona, quae ius nouit, atque de iure commentandi, respondendique et id explicandi potentia pollet. In hoc quidem videntur differre, quod ille intuitu officii factum cum iure proponat, hic decidat; si speciatim πρέπον vtriusque officii exposcas. Ille qua audit Aduocatus magis occurrens factum, hic potius ius ponderet. Praeterea ille formulas magis forenses, hic minus curare debeat. Denique dissimiles esse videntur, quando theoretico magis studio in enucleandis legibus iurisue prudentiae consultatiuae hic, ille vero iurisprudentiae iudiciariae operam nauare dicuntur. Verum enim vero, omnia ita se habent, si speciatim distinguis officium Aduocati atque ICti, si quod actu vnusquisque agit, metiris. Primum etenim omnium iurisperiti esse nosse leges et legum rationem, cognoscere ea, quae ad veram iurisprudentiam pertinent, nemo ambigit. Neque hic strictim ICtum talem volumus esse, qualem scimus auctoritate legislatoris constitutum, vt de causis forensibus sibi delatis cognoscat, quippe hic specialius potius audit iudex, sed generatim, quatenus iuris est bene gnarus. Aduocatus actu quidem non semper, siquidem iterum quoad factum externum eundem cognoscis, bene tamen potentia debet esse semper ICtus. Tria vulgo iurisprudentiae commemorantur genera, quorum alterum Nomotheticen alterum Buleuticen, tertium Dicasticen appellant. Nomothetice prudentia generalis vox est, et magis insignior, quia omne quod ciuile ius absoluit, comprehendit, et Regia audit. Hanc in Iouis antro per integros nouem annos Minoa didicisse auctor est Homerus

merus. Buleutice legislatori consilia largitur, et vim et rationem perhibet siue ferat legem, siue latam abroget, vel corrigat vel explicet. Dicastice interpretandis legibus occupatur, sique ad casus oblatos accommodari vel executio mandari debeat, docet. Quid itaque, opponunt, Aduocatus cum Nomothetice vel Buleutice prudentia commune habet, qui foro clauditur, et aulis Principum exul est; cuius labor non, nisi in nectendis formulis, excogitandis exceptionibus, et, quod fere plurimi credunt, tricandis iuribus consumitur? Sed quid aliter hi faciunt quam hoc, vt aut ineptum Aduocatum aut ipsum Rabulam cum vero Aduocato confundant, cum nomen Aduocati per seculi mores odiosum arripiunt, et iuris artis non recordantur. Non enim ipsi ICti inficias eunt, inter artis regulam seu scientiam ICti et Aduocati nullam intercedere debere discrepantiam. Nullo modo, fidem, conscientiam, vitaeque integritatem sibi retinet Aduocatus, nisi vere sit ICtus. Nullo modo rite fungetur officio, concreditasque sibi et altioris indaginis causas, bona fide geret, nisi sit ICtus. Nomothetice prudentia sola quidem legibus condendis proficit, et magis aulica quam scholastica videtur considerari: cum vero Princeps raro legem condat, nisi simul an expediat Reip. consilio prudentum diiudicet, ita et haec vti altera atque altera ICto et Aduocato communis esse debet. Aduocatus quatenus saltim eundem ita dicis, qui tantummodo edoctus est denunciationem fingere, huius prudentiae gnarus non est, quatenus vero hominem requiris tali officio dignum, requiritur, vt non solum formulas noscat, sed et Nomothetices, Buleutices et Dicastices prudentiae optime sit peritus. Sed quaeso, ita satis solide dissen-

tiunt;

tiunt; annon ille nomine et dignitate audit Aduocatus, qui ſecundum Mand. Reg. d. d. Dreſdae d. XII. Apr. cIↄIↄccXXIII. eruditionem ſuam probatam dedit, qui elaboratis ſpeciminibus licentiam nactus cauſas in foro peragit? Cum hoc affirmamus, amplius inſtant, attamen inter eosdem deprehendes nonnullos, qui maxima ex parte non ſolum Buleutices et Dicaſtices prudentiae ſed et ipſius formae proceſſus ſtrenue ignari ſunt, an et de iſtis, quibus nomen Aduocati fruſtra denegas, quod ſint ICti, affirmare fas eſt? Verum licet interdum haec vera ſint, diſtinguendum tamen putarim, inter id quod interdum ſub et obreptitie fit, et quod fieri debet. Praeterea a particulari ad vniuerſale ſequela non eſt. Neque adeo ſtricte coarctamus Aduocati nomen vt ſaltim quosdam ſubintelligamus, ſed generatim denotamus omnes quibus facultas cum legalitate competit orandi cauſas. Tales imprimis, in quibus ſi cauſae maioris momenti tractandae ſint, ſolidior doctrina requiritur, quam nuda formularia ars. Par iniqua mihi videtur ratio, vel ſi ex imperitia ſociorum Ordinem dehoneſtare velles, vel ſi alios ex nimia Tui admiratione deſpicias, ſiniſtre ſine aſſertionis ratione ſentias, et eruditionem non, niſi in canitie vel collatiuo ventre quaeras. Denique non perpetua eſt illa differentia, quae Aduocato factum, ICto ius attribuit. Siquidem ego neutiquam iis ſubſcribo, qui aſſerunt, ICtum ſolum ius, non factum cognoſcere l. 52. §. 2. ad L. A. Iuris cognitionem, quae in meris ſpeculationibus vertitur, et magis critices ſtudio, quam applicandi rationi inſeruit, ſolum ICtum abſoluere non poſſe, quis negabit? In quantum vero Iurisprudentia requirit ſolidam atque

genui-

genuinam tam historiae quam Iuris Naturae principiorum item legum notitiam et legis interpretationem, explicationem et ad factum occurrens applicandi rationem, in tantum Aduocatus et ICtus pares debent esse aemuli et non differunt. Quid quod? non poterit esse ICtus nisi sit bonus Aduocatus. Haec ita intelligi volo vt cognitis cognoscendis, facta simul cum iure ponderare bene edoctus esse debeat. Antiquas iuris formulas nosse, eo minus efficit ICtum, quo minus forenses formulae hodiernae reddunt Aduocatum. Vtrumque ergo decet ICtum, et scire leges, et vim earundem atque efficaciam in factum introducere posse. Ita nunquam a ICto separare poteris Aduocatum et ab Aduocato vero ICtum, nisi idem facias ac si a corpore demas animam. Nunc iudicare integrum erit, an ii nomen Aduocati mereantur, qui ex praescriptis formulis obseruantiisque, accurata earum comparata notitia et iuribus domesticis leuiter cognitis in foro agunt. Facili nunc negotio decidenda erit quaestio: an Aduocatus sit mango? nimirum cum huius farinae homines quos praesuppositos vides, et qui formulariter agunt, Aduocatos nominas. Falsum etenim esset in definiendo artifice, hominem ineptum delineare et exinde colligere, artifex ergo persona omnium ineptissima est. Nunquam pones exceptionem pro regula, nisi simul conclusiones falso laborantes principio producas. Prohibent angusti limites finisque propositus quo minus his lineis huic controuersiae satisfacere ex asse queam, vlteriori tamen occasioni seruabo et nunc paucis de Collegiorum post festum Trinitatis mox inchoandorum ratione haec indicare volui.

I. Ab

I. Ab hora VIII. vsque IX. Inſtitutionum Imperialium textum ita enucleabo, vt cum cognitione iuris antiqui, Patrium ius forique obſeruantia ſimul conſtet. Singulis diebus Mercurii aque Sabbathi eadem hora repetitionem huius lectionis examinando inſtituam, et Deo dante hunc laborem per ſemeſtre abſoluam.

II. Ab hora IX. vsque X. antem. et II. vsque III. pomerid. in Schoepfferi Synopſin lib. ff. explicabo.

III. Diebus Mercurii et Sabbathi ab hora II. vsque III. Collegium Proceſſuale ſeu Elaboratorio Practicum habebo. In hoc non ſolum ſolida proceſſus cognitio erit tradenda, ſed et ſimul relationis Actorum rationem, conſcribendique ſpeciminis einer Prob-Relation, nec non modum procedendi a parte iudicis et aduocati docebo.

IV. Iisdem diebus et quidem hor. III. vsque IV. Collegium Diſputatorium, praemiſſa diſputandi methodo, ſecundum ſeriem Inſtitutionum continuabo.

V. Iisdem diebus hor. IV. vsque ad V. Collegium iuris Criminalis offero.

P. P. poſt Feſtum Paſchatos MDCCXXXIII.

LIPSIAE

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.